



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

NATIONALBIBLIOTHEK
IN WIEN

125919-B

ALT-



125919-B

Digitized by

Google

125. H. 285.

SERMO AUSPICALIS,

de OSCULIS,

quibus

Naturæ & Civitatum Jura mutuos inter
amplexūs se excipiunt,

qm̄ jussu

Serenissimi PRINCIPIS
ac DOMINI,

DN. ERNESTI LUDOVICI,

Hassiae Landgravii, Principis Hersfeldiae, Comitis in
Cattimeliboco, Decia, Zigenhaina, Nidda, Schaum-
burgo, Isenburgo, Büdinga,

catera,

Domini sui Clementissimi,
munus

Professoris Jurium Ordinarii

aggregetur,

A. M DCC.XIII. d. XXI. Decembris,
in publica Zenegeyri.

Gieſſe Cattorum

habitus,

ab.

IMMANUELE WEBERO.

FRANCOFURTI & GIESSÆ,

Sumtibus

SAMUEL. TOB. HOCKERI, & JOH. OTTONIS MEYERI.

I. N. D. A.

*Magnifice Academie Rector,
 Patres Conscripti, & Auditores omnium Ordinum
 Honoratisimi,
 Tuque Studiose Juventutis florentissima
 Corona,*



Ux omnium ferè disciplinarum à multis
 retrò seculis fuerunt fata, ut pro captu at-
 que affectu hominum modò steriles dere-
 lictæque jacerent, modò justo in precio
 haberentur, id etiam Juris Naturæ atque
 Gentium scientiæ contigisse inter omnes omnino constat.
 Eccui enim, quæso, ignotum est, anteà tam indignè eam
 habitam, ut ne quidem docendæ in Academiis locus da-
 retur, donec tandem, præuentibus excellentissimis inge-
 niis, illi labes omnis abstensa, insignis ejus utilitas pate-
 facta, hōcque & præteritō seculō publicā autoritate con-
 stituti fuerunt, qui eadēm studiose Juventutis animos
 & que ac aliis disciplinis necessariis atque utilibus imbue-
 rent. Deprehensō igitur ac detectō veterum errore mi-
 rari tamen subit, quarè nec hodiè inter Viros Doctos de-
 ficiant, qui Divinæ istius Jurisprudentiæ partem sanè
 amplissimam iniquiore censurâ vexantes vel inter vanissi-
 mas referunt, omni quippè certitudine destitutam; aut
 generalibus tantùm & cuivis citra doctrinam notis dicta-
 minibus constantem, vel saltem in universa Juris arte

nullum usum habere, imò verò eidem potius officere sibi per suadent. Et nolo ego nunc quidem ab omnibus hisce imputationibus innocentissimam disciplinam vindicare, quod jamdudum ab aliis, nec semel à me ipso, alibi præstum fuit. Quàm enim facilis opellæ res fuerit, ad oculum demonstrare, certò suò fundamentò principiōque eam gaudere; undè innumeræ Conclusiones justi, notwithstanding inter singulos homines, sed vel maximè inter ipsas Gentes, in naturali quippe statu omnis legislationis humanae experte viventes, validi regulæ, tanquam ex limpidissimo fonte, deriventur? Cui certitudini diversæ Doctorum circa Principium opiniones à que minus detrahere possunt, ac in ipsa Theologia multorum dissensus circa principium fidei veritati Sacrarum Literarum quidquam prajudicare potest.

Quàm prouum porrò fuerit ad alterum dubium per instantiam respondere. Dari enim etiam noticias quasdam DEI naturales, sanitatis conservandæ morborumque curandorum remedia nonnulla, omnes, & posteriora vel opiniones & mulierculæ norunt. Non facile rusticus tam stupidus invenietur, qui non pro captu suo ratiocinari, non tres pluresve numeros computare, non adiculam vel instrumenta quædam ad agriculturam necessaria construere naturâ solâ duee posset. Ubi verò quis inde inferre velit, quod ea propter Theologia naturalis, Medicina, Logica, Arithmeticæ, Architectura & Mechanica non sint dignæ, quibus peculiare studium atque cultura adhibetur, vel quod ineptæ sint, ut in artis formam redigi queant, næ is à recto iudicio nimis quantum esset aberratus. Sic quoque cum doctrinâ Juris Naturæ & Gentium comparatum esse quilibet, qui modò rem exactius trutinare voluerit, facile deprehendet. Quod Doctorum vitium est, doctrinæ tribui justè nec potest nec

debet. Generalia quædam ejus dictamina à quovis percipi largior; sed æque ac alia, de quibus dixi, disciplinæ, dignæ habenda est, cui excolenda studium impendatur; quin & apta præ multis aliis est, ut in artis formam redigi, & in Systematibus tam elementariis quam diffusoriis Studiosæ Juventuti tradi possit. Ast mei propositi nunc non est, hisce in capitibus utilissimæ ac nobilissimæ disciplinæ patrocinium in me recipere; sed aliâ in parte, dum dicendi provinciam mihi impositam video, causam ejus agam, ut argumento utar ad rem præsentem accommodatò, totique huic splendidissimo Auditorio, nisi fallor, longè gratiore, & ad favorem incomitæ dictioni conciliandum magis congruo atque proficuo.

Jussit nuperis diebus Serenissimus Patriæ Pater, Universitatis hujus Nutricius, Princeps atque Dominus noster longè Clementissimus, ut, retentâ Historiarum, cui per tria, & quod excurrit, lustra pro viribus incubui, Professione, deinceps Doctor Jurium Ordinarius, ex quo per tredecim annos extra ordinem ea publicè privatimque tradidi, in Naturæ quoque ac Gentium Jure docendo pergerem, atque adeò hoc studium cum reliquis Jurisprudentiaz partibus suò modò & ordine combinarem. Id igitur dum devotissimo obsequiò facere aggredior, recepti autem apud nos moris est, ut auspicia novarum Professionum à Sermone aliquo publicè habitu petantur; cui laudabili instituto ut humeros subducere neque justum neque licitum mihi esse duxi; idcirco de dicendi arguento mihi dispicieni, nullum præsenti instituto magè conveniens visum fuit, quam si de Osculis, quibus inter mutuos amplexus se excipiunt Naturæ & Civitatum Jura publice verba facerem. Grave quidem hoc argumentum est, in quo satis prægredi-

tem vix ullum invenio, eorum etiam, qui alias utriusque Juris studia conjungenda esse recte & serio monent; tentabo tamen, quid vires valeant, quid ferre recusent; eum, si alius non fuerit, inde mihi promittens fructum, ut, quæ mihi de utroque sedeat sententia, cuilibet manifestò constare possit.

Agite igitur, *Auditores omnium Ordinum Honoratissimi, & Sermonem intra semihorulæ cancellos redigendum benevolis auribus & æquâ mente rectoq[ue] judiciô excipite.*

Quemadmodum Juri Naturali cùm ratione Autoris, ipsius Divini Numinis, tùm ratione antiquitatis & temporis, ut potè ipsis humani generis satoribus congeniti, primas deferendas esse, nemò facile iverit inficias: ita non oportet non egregiè istos falli, qui vel solum h[oc] ius regendis hominum actionibus sufficere, vel pugnam id inter atque Civitatum post enata existere sibi temerè persuasum habuerunt. Mutatò siquidem statu necessariò quoque jura atque leges mutationem experiri nemo in dubium vocaverit, id quod vel inde manifestum evadit, si cogitaverimus, etiam in felicissima Protoplastorum conditione Naturalibus positivarum DEI de non comedendo fructu vetitarum arborum, quarum uni vitæ, alteri scientiæ boni & mali nomina imposuit, legem accessisse. Et, quid non futurum fuerat, si in ista felicitate persistere tùm non mortalibus datum? Ast dum eadē, magno suō nostrorumque omnium damnō, exciderunt, & relictus quidem ipsis fuit naturæ, sed post depravatæ prorsus Status, relictæ etiam in eodem justi naturalis, sed debilitati valde & imperfectioris dictamina, quæ vitæ hujus utcunque socialiter agendæ cynosuram præberent; statim tamen Imperii paterni nova jura subintrarunt, quô singuli Patres-familias in suis domibus usi membra carum rexerunt, eò qui-

quidem modō , uti qui senior caputque amplioris , ut potè quæ apud tām longāvōs copiosissimæ dabantur , effet familiæ , potestatem Civili Imperio analogam & penè Regiam exerceuerit . Perstitit tamen id , quicquid fuerit , Imperii intra suos penè limites , finemque ferè ac modum habuit , adeò ut nec leges propriè dictæ , nec pœnæ in isto rerum statu reperirentur , quippè quæ omnia non nisi à solo Imperio Civili inter homines ortum trahete in Politicorum scholis vulgò & rectè docetur .

Ex quo autem naturalis iste hominum status tot malis tantisque calamitatibus infectus fuit , ut nemini in eō amplius vel vitæ vel fortunarum securitas ; inde per voluntatum & virium conspirationem magnis familiis ubique locorum coëundum . & Civili Imperio , unico salutis præsidio , colla submittenda fuerunt . Quantacunque enim Legum Naturalium vis est , quantaque potestas ; tanta tamen apud improbos , increbescente præsertim indies malitiâ , illa esse non poterat , ut sola petulantiam , avaritiam , crudelitatem & similia pravorum vitia reprimeret , nisi ab Imperio Civili , quod per legum & pœnarum frena quam maximè valet , auxilia & severiora medicamina pertenerentur .

Indè igitur Imperii Civilis , indè Legum Civilium initia , suadente , imò urgente rectâ rationis dictamine , quin ipsò DEO Regiam eam potestatem adprobante , & terrarum Deos , suosque in his Vicarios singulati sancti moniâ complectente ; quamvis , quô præcē tempore singula Imperia cœperint , & Leges Civitatum fuerint conditi inter incertissima meritò habeatur . Ecquis autem , hinc secum perpenfis , crediderit , aut animo conceperit , pugnam esse posse inter Naturæ & Civitatum jura ? Quis vel sibi vel aliis persuaserit , illa his , hæ illis contrariari , daturque inter utramque Jurisprudentiam , quatenus ad bonum

bonum Societatis humanæ communis, vel Civium specialis dirigitur, uti dirigi debet, aliquem vel minimum dissensum? Quotusquisque non potius aperte deprehenderit, Oculis ea Jura mutuos inter amplexū se excipere, & auxilia sibi invicem præbere, quatenus ambo DEUM vel autorem vel tutorem agnoscunt, & in officiis suis ad eundem finem scopumque ducuntur? Ut autem eō distictius & liquidius adpareat, quot modis, & quam arctè se invicem amplectantur, considerabimus primō locō Oscula, quæ Naturæ Jura Juribus Civitatum infigant; & deinceps ordine ea etiam, quibus hæc illis mutuos inter amicos & complexū vicissim respondeant.

Osculum
Jur. Nat. I.

quò Juri
Civitatum
fundamen-
tum sub-
sternit.

Isidor.

Origg. L. 5.
S. Inf. de
P. N. & G.

Mevius,
Nucl. Jur.
Nat. &
Gent. In-
spect. 2. 8. 32.

Plin. Hist.
Nat. L. 7.
c. 57.

Clemens
Alexan-
drin. Strom.
l. 6.

En igitur parata ad osculandum divina Naturæ Jura, dum Civitatum Leges de solido stabiliisque fundamento securas reddunt. Est sine dubio, & omnium conscientiæ, Naturæ jus solidum universale atque antiquissimum, quod inde *jus commune omnium nationum* rectè vocat Isidorus; & *humano generi commune* noster Imperator. Inde pro lege fundamentali ac communi magna Universitatis, quæ totò orbe comprehenditur, id habendum, cui talis ab omni debetur observantia, ad quam Civis quisque suæ Civitatis legibus adstringitur. Idem enim respectus est hominis erga naturam, qui Civis est erga suam Civitatem. A primâ quippe mundi origine, antequam vel Moysis Decalogum, vel leges suas Athenienses, Romani, aliique populi omnnes conderebant, hoc Ius extitit, vim suam exercuit, & omnibus agendi normam præbuit. Huic igitur, tanquam genuinæ & præcipuæ basi, antiquissimis temporibus, as leges superstruxerunt Civitatum Rectores & Nomothetae Tulliani, sive à Rhadamanto apud Lycios, sive à Zoroastro apud Persas, sive à Mercurio apud Ægyptios, sive à Pythagora, Charonda, Zeleuco, Minoe, Lycurgo, Dracone, Solone, Thalete apud Græcos, sive à Romulo, Numa,

Numa, Servo & Tullio apud Romanos, five undecun- Jo. Vite.
Gravina.
Orig. Jur.
Civil. l. 2.
s. 21. p. 262.
legit.
 que demum originem earum repetere à llubescat. Omnes
 isti, & quicunque alii deinceps apud Romanos, Germanos, ex terosque populos extiterunt, ubi quidem officio
 suo recte functi sunt, ad universale illud Naturæ Jus præ- s. 21. p. 262.
legit.
 cepta sua attemperarunt, nil statuentes, nil jubentes, ve-
 tantesque, nisi ad quod sanciendum jus fasque naturale,
 osculò velut præbito, invitaret. Unde etiam, si qua ab
 antiquioribus minus justè minusque recte posita, sapien- tiores ad genuinum æquitatis fundamentum magè respi-
cientes, ea successu temporis subinde emendarunt, re-
strinxerunt, vel planè sustulerunt. Cogitemus modò
 de barbara illa servitute, quâ non apud Romanos solùm,
 ubi servi quadrupedibus æquiparati, sed & apud alias l. 2. s. 2. ff.
ad Beg.
Aquil.
 Gentes in miseros homines libera vita necisque potestas con- sessa. Quod cùm naturali æquitati & juri aperte contra-
riaretur, humanissimus Imperator, Antoninus Philoso-
phus, mutavit, undè deinceps constitutum, ut, qui ser-
vum sine justa causa occiderit, lege Cornelia de Sicariis,
 æque ut aliis homicida, teneretur. Illud equidem non
 inficiabor, speciales sèpè rationes, ut in aliis, ita quo-
 que in LL. Romanis, ex utilitate Reipublicæ & conditio- Conf. l. 3. 2.
ff. de R. P. 2.
l. 1. s. 2. ff.
ad L. Cerni
de Sicar.
 ne Civium petitas Legislatores movisse, ut hoc vel illud
 ordinarent, ad quod Naturale Jus rectâ viâ non ducit;
 unde recte Ulpianus, *Jus Civile Naturali non per omnia ser-* l. 6. ff. de
q. usq. & iur.
vire, sed, si quid addatur, vel detrahatur, per hoc jus pro-
prium vel Civile effici. Quemadmodum etiam Cajus pro-
 nunciat: *omnes populos partim communi, partim proprio Jus* l. 9. ff. end.
re uti. Nam, quod quisque populus ipse sibi jus constituit, Exempla
vid. ap.
Consultiss.
ipsius proprium Civitatis est, vocaturque jus Civile, quasi pro-
prium ipsius Civitatis. Attamen eorum omnium vix ul- D Andri.
Ockel, in
q. Cito ratio-
 lum dabitur aut ostendi poterit, nisi forte à fine Civitatis nali, c. 3.
vel s. 19. p. 91.
 & potestate Legislatoriâ prorsus aberraverint Nomothetæ,

vel JCTos secta suorum temporum in transversum egerit, cuius non ultima ratio in naturali æquitate fundata, & hoc modo in universalis fundamento radix quasi quædam justi æquique invenienda sit. Licet enim ea Civibus vel aliis etiam peritioribus non statim patescat, aut in oculos incurrat, quod sæpè fit, & indè etiam de LL. Romanis

*I. 20. ff. de
LL.
Hortleder,
Disp. ad h. l.
babit. gen.
1606.*

JCTus fatetur, *non omnium, qua à majoribus constituta sunt, rationem dari posse*, ad quem notissimum textum, tanquam ad commune ignorantia æylum, sæpè, etiam ubi opus non erat, recurritur; id tamen non indè venit, quod ratio aliqua naturalis vel civilis legi non subsit, dum sanè absque ratione egisse Legislator nunquam præsumitur;

sed, quod vel historia legum statusque Civitatis, quô latæ, sufficiens deest, vel quod rectæ interpretationis ad-

*B. Cancel-
lar. Her-
cilius, Juris-
prud. uni-
versit.
scđ. i. 5. b. 5.*

minicula ad causam eruendam non adhibentur. Quibus etiam accedit, quod ipsi aliquando veteres JCTi, quid Juris Civilis, quid naturalis in Légibus sit, non distinctè satis cognoverunt, &, quod ad hoc referendum erat, illi temere attribuerunt.

Cujus rei manifestum exemplum occurrit in verbis Tryphonii, ubi de reo capitalis judicij deportato casum proponit, qui centum deposuerat, & ad qua-

*I. 31. pr. ff.
Depositi.*

ff. questionem: *utrum ex centum deportato restituenda, an vero in publicum deferenda*, respondet Tryphonius: *Jure Naturali non fisco, sed deportato deberi; sed hoc Civile jus immutasse, ut fisco addicantur.*

Sanè est manifesta hac jurium confusio, dum LL. Civiles ipsa naturali ratione subnixa damna- tis, tanquam indignis, bona auferunt, licet hoc sit juris positivi, quando huic aut illi criminis pena confiscationis

*Vid. Pufen-
dorf. 7. N.
G. L. 4.
e. 13. §. 5.
Conf. L. 2.
e. 3. §. 5.*

bonorum fuit constituta: Sic igitur omnino dicendum firmiterque statuendum est, *Jura Civilia contra Natura- lia nihil quidquam posse, neque tantam vim inesse Légibus ab humana potestate latis, ut ab ipsa divina Majestate cordibus omnium inscriptam, & à mundi exordio cuivis*

inditam legem vincerent. Aequitatem inde nanciscuntur aut amittunt jura, quæcumque fuerint hominum, & ut rei cujusque naturalis ad sua principia relapsus est; sic & ad primam humanitatis regulam cuncta, quæ ad justitiam pertinent, redigantur, & quò unaquæque lex isti propior, eò quoque æquior meritò habetur. Validissimum hoc nomothesia præsidium adversus tyrannorum ausus, qui potestate suâ abusi, non, quæ Civitatum finis atque salus requirunt, sed ad quod libido, avaritia, ambitio impellunt, pro legibus venditant; quibus illud.

sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas,

sufficit; quibus nihil aliud propositum est, quàm ut *leges* Ad Christo-
phoro.
rum, Epi-
scopum Ba-
silensem,
c. 3. *cassum vice habeant, quibus prædam, id est, bona vitam-*
que civium capiant, ceu de Dionysio Syracusano judicat Erasmus. Tali mente instructi legislatores quid aliud faciunt, quàm ut honestissimo officio vim inferant, sacram Themidem prostituant, & Deam hanc semper piè venerandam talibus criminibus, qualia olim Ethnici Poëtæ Diis suis, furga scilicet, adulteria, cædes non dubitarunt attribuere, fœdissimè conspurcent. Rectius & longè melius Antigonus, Macedonum Rex, alicui, dicenti: *omnia Apophtegm.* *Regibus honesta esse, regessit: sunt hac per Jovem Barbarorum Regibus: At nobis ea duntaxat, qua honesta, & qua justa sunt. Et Theodoricus, Rex Gothorum, dixisse fertur: Potestati nostra, D E O favente, subjaceat omne, Plutarch. in
Goldast.
Tom. 3.
Constit.
Imper. quod volumus. Voluntatem tamen nostram ratione metimur, ut illud magis estimemur elegisse, quod cunctos dignum est approbare. Ne igitur precium suum justis Civitatum Legibus p. 34. pereat, ne spuria soboles justitiae thronum oceupet, & id ad se rapiat, quod Reginæ legitimis debetur, Naturæ jura hic intercedentia osculis Regiam Themidis prolem excipiunt, omnem vim solis justis legibus largiendo, injustis*

detrahendo, & aternâ ignominia ad Garamantas & ad Indos relegando.

Ostendit
Juri Nat.
II. quod Ci-
viratum
Leges recte
interpretar-
tur.

Præterea cùm sàpè etiam eveniat, ut Legislatorum Civilium circa leges publicè constituendas mens rectissimè quidem sese habeat, verba tamen ejus vel mente latius patetant, vel eadem angustiora conspiciantur, ut, si eo modò, prout jacent, excipiantur, iniqui quid vel absurdì ex iis fecuturum sit; inde ad auxilia ferenda altero Osculo præstò est Jurisprudentia Naturalis, & moralem medicinam adfert, non verè, sed ex opinione potius & externo intuitu morbidis Civitatum Legibus. Æquitatem puto, quam agnoscunt omnes, sed non rectè satis ita communiter definiunt, quod sit *correccio ejus, in quo Lex deficit ob universalitatem*. Factum id. nisi fallimur, ex eo est, quod persuasum habuerunt, tūm demum æquitati locum esse, ubi latiora mente Legislatoris verba sunt, ut ad illam hæc rectâ interpretatione restringantur. At enimverò, quæ causa subest, ut intra tām angustos limites æquitas & ejus functiones concludantur? Annos etiam æquè opus est & æquum, ut, ubi plura quis sensit, pauciora locutus est, verba nimis strictè posita ad genuinam autoris mentem accommodentur, & adeò per utramque, tām extensivam quām restrictivam *interpretationem*, æquitas in Legibus, quin & in aliis omnibus negotiis atque actibus hominum investigetur? Tantum hoc est, quod à Naturali Jure Civitatum Legibus venit, beneficium, ut eò majus in universâ Jurisprudentia nominari vix possit, dum per æquitatem, non quidem illam cerebrinam, sed naturali ratione suffultam, quæ ipsæ leges non pertingunt, aut non satis aperte præluccent, Doctores Judicesque nodos legum, conventionum, ultimarumque voluntatum Gordios feliciter solvere possunt. Ubi tamen, ut rectè intelligar, id monitum volo, non eam mihi animò se-

dere sententiam, ac si in decisione causarum Civilium Juris Naturalis dictamina sola sufficientia sint, & ad ista proximè, ac sine medio, provocatio fieri possit aut debeat; ut potè qui longè alia edictus probè scio, in talibus decisionis fundamentum in Legibus Civitatum suò modò & ordine quærendum, exhibitis simul in consilium doctis earum Interpretibus, &, hæc ubi non sufficiunt, vel deficiunt, tūm demum ad Juris Naturalis dictamina recurrendum esse. Sermo autem mihi est de interpretatione textuum & verborum obscurorum aut dubiorum, ubi sane æquitatis & naturalium rationum vel præcipuæ partes sunt; quæ media si quis post habeat, & opinionibus fortè vel solis autoritatibus sine judicio innitatur, si sane non potest non insigniter labi; uti contrà, qui tali rerum statu ad justi æquique naturalis trutinam omnia examinaverit, Phariâ velut luce ad optatum portum provchetur. Prochè id intellexit præstantissimus J Ctus Papinianus, quando, qua Principum mandatis precipiuntur, etiam naturalem habere intellectum, verè pronunciat, quem legis instar venerari, atque, quanto aliis conjecturis certior est, tanto constantius servare oportet. Et, quando Celsus ait: *scire leges non est verba earum tenere, sed vim atque potestatem,* quid aliud, quæso, vult, quam quod Azo solebat dicere: *J Ctos non verbis legis, tanquam Iudaos debere adhærere?* Quid aliud per vim atque potestatem intelligit, quam præcipue rationem naturalem, quam deficiente non posse Civiles regulare juris sequi graviter monet Julianus. Ethinc enata est notissima J Ctorum regula: *cum de mente ex verbis non constat, interpretem agit ratio naturalis.* Licet enim Civitatum jura solicite de Civium negotiis disponant, &, inter cæteras Romanorum Leges hac in re sint sœcundissimæ, quæ laus ipsis citra injuriam manifestam detrahi non potest; nunquam tamen jus humanum, quodcunque etiam

*l. 5. ff. de
serv. expor-
tand.*

*l. 17. ff. de
LL. conf.
Novell. 18.*

*c. 5. pr.
Azo, in l. 5.
C. de LL.*

*l. 15. ff. de
LL.
Junct. l. 5.
C. sec.*

fuerit, in omnes casus atque circumstantias vel plenè vel
 L.2. §.5. ff. de ita providet, ut non aequitas aliquid suggestat, ubi jure defi-
 aq. plur. cimur, fatente Pomponiō; dum & ipsam fidem ex naturali
 arcend.

L.13. §.7. ff. justitia firmare aliquando sufficit, dicente Modestinō. Ig-
 de Excusat.

tur ubi humanum jus deficit, vel quia lex non constituta
 aut ambigua est, vel quia in casus incidit, quibus non
 obligat, aut inter personas, quibus alterius juris commu-
 nicatio non existit, agitur, ad Jus Naturale recurrentum
 est, cum alia hic non suppetat agendi vivendique regula.

Baldus, ad Inde inter veteres vel maximè Baldus, Bartolo per hoc
 l.3. & 12. longè præferendus, laudatur, quod in causarum deci-
 do Suis &
 legit. lib.

Carpzov. rit. Non soleo ego, inquit celeberrimus nostrorum tem-
 P. 3. Conf. pòrum JCtus, Zieglerus, in scholis meis vel Ulpiano, vel
 14. Def. 2.

n. 4. Papiniano tam cœcō assensu blandiri, ut non identidem ad na-
 turalia recurrente principia, & veras Juris & justitia causas
 inde eruere mihi integrum reservem.

Ziegler, Cui pollicem præbet in
 Prefat. No- omni jure maximè versatus David Mevius, cuius inter alia
 gar. ad Gro hæc sunt, quibus utilitatem Juris Naturalis in omni Ju-
 gium; de risprudentia extollit. Quanta alias, ait, sit studii, quod

Mevius, Juri Justinianeo & Canonico tribuitur utilitas, sicut magna illam existere nemo sapiens negabit; attamen ad exactam soli-
 Prefat. ad Nucleum damente Jurisprudentiam solum non sufficit; sed Natura jus isto
 Nucleum multò est latius, seu consideres, qui jure utuntur & invicem
 Qur. N. & Gent. conjugendi sunt, seu de quō justa sunt habenda. Ea demum
 vera & perfecta est Jurisprudentia, quæ universalis, ut inter
 omnes faciat communem justi nexum, & de omnibus justa in-
 telligendi atque statuendi facultatem.

Jo. Fr. Bœckelmann, Lubet quoque audire
 Prefat. ad Element. JCtorum decus, Jo. Frid. Bœckelmannum, in eandem
 Tractatu, c. 3. p. 34. 1899. cum adductis sententiam euntem, quando sic pronun-
 ciat: à ratione docendi vera absunt longissimè, qui majorem

Jung. memo-
 Hahn ad Wesenbec in Prefat. & Andr. Ockel, Qure-Consult. rational. Prefat. p. 26. & in ipso
 Tractatu, c. 3. p. 34. 1899.

memoria , quām intellectus curam gerunt , quique leges magis , quām naturalia legum principia tractant . Cum enim fontes illi , ē quibus jura singularia profluant , pauci sint , & facile ostendant , quid ipsi continentur rivalis , primam potissimum operam fontium investigationi dandam , laboreique circa rivos & immensum & desperatum esse cuilibet conjicere in proclivi est . Sed & ne usui quidem est legum peritia , nīc ē fontibus suis naturalibus derivata .

Et , quem amabō , majorem in hac causa testem allegare possumus ipso nostrō Imperatore , dum Jura Romana non tantum ex Civilibus , sed & ex Naturalibus praeceptis , s. 4. Inst. de quibus primum locum assignat , collecta esse fatetur , quæ certè non tribus istis generalibus , quibus honestè vivere , neminem lēdere , suum cuique tribuere jubemur , absolvi , sed latius multò patere , ipsi veteres JCti , quorum opera in Pandectis , Codicibus , Theodosiano & Justinianeo , nec non in Novellis Constitutionibus extant , satis agnoverunt , de quibus etiam H. Grotius testatur , maltūm se Grotius , istis in confiendo de Jure Belli & Pacis opere detulisse , dum Prologom. rationes sapè optimas ad demonstrandum id , quod Juris est Na- de T. B. & Pac. tura , suppeditaverint . Et quidem laus hæc inter eos maximè Papiniano debetur , de quo voixnūr noës Bāū & Cujacius Cujacius , recte judicat , quod fuerit omnium , qui sunt , qui erunt , Epist. dedicat. C. Cod. Theodos. Balduin. Prefat. Comment. ad Inst. Conf. Ziegler. in Prolegom. Grotius. tis. p. 3. 4. Grotius. b. c.

veneratur divinam providentiam in hoc , quod excitaverit summos illos viros , Josephum in Ægypto , Danielem in Babylonia , Athenis Periclem , Roma Papinianum , ad conservandam societatem , & justitiae splendorem . Contra de Accursio , Bartolo & similibus recte censet magnus Grotius , quod Juris divini & historiae veteris incuriosi , aerint interpretes , solius ius Romanum finibus se includentio , & in jus commune aut nunquam aut non nisi leviter ex spaciando . Operæ sanè premium facturus esset , & quidem vel maximi habendum , si quis

per graviores saltim materias, præsertim ubi **Leges Civiles Romanæ** cum naturali æquitate collidi videntur, cundo, quæ positiva & quæ naturalem rationem habentia sint, ab invicem discernere, simulque adhibitâ dextrâ interpretatione ostendere velit, non dari in istis veram pugnam, sed potius in plerisque ex rectâ rationis dictamine, dummodo id probè investigetur, rectitudinem legibus etiam apparenter difficillimis constare. Optavit id Pufendorfius; desideravit, quô nemo melius & rectius hoc præstare potuisset, laudatus Meyius; sed hactenus inter vota res substatuit, nec à quoquam iste labor, Jurisprudentiæ summo perè profuturus, expectandus est, nisi qui cum antiquatum Romanarum exactâ notitiâ solidam Jurisprudentiæ & Naturalis & Civilis cognitionem conjunxerit. Mihi in scholis Juridicis, pro ingenii modulô, id semper propositum fuit, ut in argumentis LL. Romanarum primo intuitu iniquioribus visis ostenderem, ultimâ ratione ex recto naturalis judicii dictamine erutâ apparentem illam iniquitatem vel mitigari, vel omnino disparere. Et erat quidem animus, in præsens propositis aliquot exemplis docere, quâm nulla subsit à justo æquoque naturali discrepancy, quando Romanæ **Leges Præscriptionis** jus fulciunt, circumventionem certò modô permittunt, & ex læsione actionem denegant, contrâ ob promissum ex errore, dolo & metu tribuunt; beneficio SCtorum, Macedoniani patribus atque filiis-familias, & Vellejani fœminis adversus Creditores subveniunt, quæ omnia, & si quæ his sunt similia, nonnulli tanquam injustissima damnarunt, cùm tamen in naturali justitia ultima eorum ratio apertissimè sita reperiatur. Sed quia jam ab aliis id abundè præstitum fuit, & temporis angustiæ intam latum campum excurrere nunc non sinunt; igitur ab hisce diversitens,

tens, ad tertium & ultimum *Oscularum*, quō mutuos in- *Osculum*
ter amplexū Naturalis Jurisprudentia Civitatum jura ex- *Juris Na-*
cipit, orationem meam converto. Non minus gratum *III.*
acceptumque, quām superiora, Civitatum juribus id oscu- *quō via*
lum Juris Naturalis est, quod extrēnum in locum reser- *obligandi*
vavi, & in eo vim suam atque dulcedinem exserit, dum *intrinsicam*
Civitatum autoritatem vimque obligandi intrinsicam & firmissimam ibis, *Legibus*
bac impertitur. Loquor autem de Legibus Civitatum ta- *conciliat.*

libus, quæ Naturæ aliisque divinis juribus non repugnant, *Hobbes, de*
ubi quidem Hobbes gravissimè hallucinatus est, dum sat *Civ. c. 24.*
paradoxè negavit, fieri posse, ut lex Civilis Naturali Juri *§. 10.*
repugnet, nisi forte in contumeliam DEI lata sit. Quasi verò *ius Domi-*
non lenocinia apud Spartanos, apud Lacedæmones puer- *tricis.*
orum plagia, apud Tartaros & Colchos furta, apud *Conf. Pa-*
alios alia gravissima scelera permissa fuerint, dum sàpè *fendorf. 7.*
cum Stratocle insaniunt Legislatores, qui legem Athenis *N. G. L. 8.*
promulgavit, ut, quicquid iussit Rex Demetrius, id apud *e. 1. 5. 2.*
Deos fas, apud homines jus esset. Meretricum hæc impu- *seqq.*
dicia oscula sunt, non castarum puellarum, quales, dum *Inq. & 2.*
se invicem amplexantur, nostras Naturæ & Civitatum Le- *§. 29.*
ges meritò veneramur. Vim atque perfectionem Natu-
rale Jus voluntario tribuit, & in Civitate Leges Natura-
les humano juri succenturiantur. Licet enim externam *Mov. I. e.*
necessitatem eidem summi Imperatoris autoritas, aut ob-
servantium consensus injungat, præcipuum tamen ex con-
scientiâ & divino imperio robur manciscitur, ita, ut tum
quoque stringat, quando humanum imperium & autori-
tatem impunè subterfugere datur. In vulgus nota quæ-
stio est: *an Leges Civiles etiam in conscientia obligent?* quam
in re tam manifestâ à nonnullis in dubium vocari vanum
prosulsa atque ineptissimum, ne quid dicam durius, vi-
detur. Ecquis enim, quæsó, iverit inficias, Summos Im-
perantes, dum recta & justa præcipiunt, DEI in terris esse
vica-

vicarios, ex dictamine recte rationis, ipsoque divino ius ad id constituto's, ut Reipublicæ Civiumque suorum salutem querant ac tueantur; undè pronō alveō sequitur, apud eos saltim, queis aliquis conscientiae sensus inest, Jus Naturæ vim suam exercere, ut, remotō etiam hominum metu, iussa Summorum Imperantium, quæ justa quidem sunt & honesta, strictè observent. Quō sensu Jus Naturæ firmamentum omnium reliquarum Legum atque Officiorum recte salutatur, & inde proborum atque improborum discrimen sat luculenter appet, siquidem, ut hi nonnisi pœnarum formidine, sic illi solius virtutis amore Legibus Civilibus obsequia præstant, & propter DEUM humanas Majestates earundemque voluntatem, quam Legibus exprimunt, promte venerantur. En igitur Osculum! en basium, non dimidiō, sed totō labrō datum, imò tale, quō non præstantius ullum!

Et dicta quidem hæc sufficiant de Osculis, quibus Naturæ Jura in desideratos Legum Civilium amplexū ferruntur; dispiciendum nunc porrò verit, quam vicissim & hæ cupiditas manus in illorum colla injiciant, osculis oscula veluti compensando, mutuosque complexū per longiores moras continuando. Primum igitur, quod Naturali Juri imprimitur Osculum Civilia, in eo consistit, dum hæ isti vicissim vim suam atque efficaciam largiuntur, idque quidem modis non unis. Licet enim Naturæ & recte rationis dictamina ex altiore principio vim atque potestatem obligandi nanciscantur, quæ tam valida est, esse saltim debebat, ut nemini mortalium eidem se subtrahere liceat; ea tamen, quantascunque vires habeant, non nisi intrinsecum vinculum injiciunt, cuius sensus apud solos ferè probos sese exercit; sunt tamen plerique Civium propter dolor! ita comparati atque corrupti, ut, nisi Civile Imperium succurrat, & naturæ iussa executioni demandet,

Osculum
Juris Civi-
tatum

I.
quō Legi-
bus Natu-
ralibus vim
obligandi
excuse-
cam lar-
gitur.

horum vix ulla futura esset utilitas. Propter inobedientiam, Ambrosius, inquit Ambrosius, prarogativa Naturalis Legis corrupta est; Epist. 71. ideo scriptum Legis testimonium est necessarium, ut vel partem habeat, qui universum amiserat, quod nascendo assumserat, discendo saltem cognosceret, & custodiret. Cui gemina sunt, quæ habet alibi: quia, inquiens, homini quodammodo naturā inserta sunt justitia semina, addita lex est, cuius auctoritate & magisterio ingenium naturæ proficeret ad fructum iustitiae faciendum. Indè igitur Civitatum jura in auxilium veniunt Naturalibus, & pondus externum iisdem adjiciunt, id quod maximè duabus fit rationibus, dum nempe jus ad agendum concedunt in ius, qua Naturali Jure perfectè obligant, & pœnali sanctione iurisaciones naturales muniunt, definiuntque, qua pœna in foro Civitatis sit mansura eum, qui facienda omiserit, aut omissenda fecerit. Ut enim, quoad prius, ipsa rectæ rationis dictamina jubeant, ut, quæ quis perfectò jure exigere potest, &, ad quæ præstanta alter perfectè obligatum se videt, quam perfectionem actibus ferè pacta conciliant, & agendi vim in statu Naturali omnino tribuunt, quæ, ob defectum communis humani Judicis, mediantibus solis armis paratur; attamen vitæ Civilis indoles in Civitatibus non fert, ut, quod quisque sibi deberi arbitratur, per propriam violentiam exigit; indè in eo Legi Naturali Leges Civiles subveniunt, ut ad ea, quæ perfectè debentur, actionem accommodent, cuius vi ista in foro Civili per Magistratus subsidium exiguerant. Quam vim quæ per Leges Civiles non acceperunt, ab invitis extorqueri non possunt, sed solo debentum pudori atque conscientiæ relinquuntur. Neque verò propterea existimandum est, Imperia Civilia Naturæ Jura in iis destituere, quæ ex sola humanitate & indefinitè alter alteri debet, indèque vulgo inter Officia humanitatis referuntur. Nam talibus & ipsum Naturæ Jus non nisi

Pufendorf.
Offic. Hom.
& Civ. l. 2.
c. 12. §. 4. 5.

imperfectam obligandi vim imponit, ut ullò aliquò remedio coactivò exigi non debeant, sed, ut esset materia, quā virtutem suam probiores mortalium exercerent, insignemque pararent laudem, si citra coactionem rectè fecisse vi-derentur. Ita notum est, quod actio ingrati non detur, secus ac Bœclero aliquando visum; quod propter dene-gatum matrimonium, propter non datae eleemosynas & similia in foro Civili agere non licet, cum & regulariter in statu naturali Gentibus indè justæ belligerandi causæ non nascantur. Similem in modum quoad posterius se res habet cum delictis atque pœnis; dum quidem Naturæ jus omnia delicta in foro divino pœnis subjacere dictitat; neque tamen omnia ad humanum forum pertrahenda censet, ut potè, si in internis vel minoribus lapsibus con-fistant, &c, quæ sunt alia similes causæ; Ubi sanè non putandum est, legislatores brachiò suò Naturæ dictamina non juvare velle, si quando etiam cogitationis pœnam neminem luere, minima non curare Prætorum auditus. Nam in his Civitatibus cum Naturæ Juribus dispositiones con-spirant, cum ad interiora, Civitatem quippe & So-eietatem non turbantia, penetrare nequeant, nec omnia tribunalia suffectura sint, ad quosvis etiam leviores lapsus in apricum protrahendos, & condignâ pœnâ afficiendos. Undè, si quæ sanctione pœnali in Civitatibus destituæ sunt leges, & admissa delicta in humano foro impunita-manent, ideo tamen Naturales Leges non reclamant, aut de denegato Legum Civilium auxilio conqueruntur, cum illæ ipsæ rigorem suum eò non extendant, sed talium, quæ, ut Seneca loquitur, extra Tabulas publicas sunt, vindictam divino tribunali relinquendam censeant. Quæ licet omni-nò ita se habeant, prout in præcedentibus à nobis expo-sita fuerunt; dubium tamen hic occurrere, & objici forte possit, frustra de conspiratione Juris Civitatum cum Na-

Bœcler.
Differ. 3o-
annex.
Not. ad:
Ges.

Seneca, de
Benef. L.S.
Dubium.

tura Jure verba fieri, siquidem argumentis non unis doceri possit, illud hujus dispositionem in multis potius revertere, & laudatos hactenus amplexus respuere. Eccui enim non notum est, velle Naturale Jus, ut fides Pactis data servetur; Leges verò Romanas obligandi & agendi vim simplicibus Pactis detrahere? Naturā venandi potestatem omnibus hominibus æqualiter datam, quam plurarumque Civitatum Leges privatis ademerunt? Conditiones, præsertim impossibiles, negotio & dispositioni adjectas juxta Juris Naturalis simplicitatem actūs reddere nullos & invalidos; cum tamen Leges Romanæ ultimās hominum voluntates, quibus sub tali conditione, vel etiam causā impellente prorsus falsā hæreditas vel legatum selictum, validas esse jubeant? Ut ea taceam, quæ spēciam collisionis habentia in superioribus jam tūm prolata fuerunt. Sed salva per omnia res est, dummodo, quæ inter se pugnare, nonnullis visa sunt, rectè ab invicem discernantur, & debitō modō intelligantur. Non negant in thesi, ut loquimur, Romani JCti, solō Naturæ iure per Pacta deliberatō animō & ob honestam causam inita fidem datam firmari, quin potius disertō ore in textibus quamplurimis id fatentur; undē in negotiis etiam Civilibus, et si vim agendi detrahant, alios tamen insignes effectūs ipsis attribuunt, imò, docente Vinniō, nunquam prohibuerunt Civibus, ne, quod pactō promisum, ultro præstaretur; sed majoris tantūm cautelæ ergo, cum cernerent, homines sāpè, etiam dum putarunt, se animum quām maximē deliberatum ad negotia adferre, opinatō in obligationes tanquam in retia incidere, nomine Contractuum speciales formulas constituerunt, ut, qui firmiter obligari velint, juxta eas negotia instituerent, & jurium peritos in consilium adhiberent, quorum sine ope actus tam facile expedire non poterant, quām si qualibet

Dubii solito,

l. 7. 5. 4. ff.
de Pact.

l. 16. 5. 4. de
Fidejussion.

Vinnius,
de Pactis,

l. 6. 5. 3.

vulgari , nec ita restrictâ determinatâque formâ obligarentur. Atqui verò hoc datum esse Civitatum Rectoribus ab ipsâ naturali ratione, ut generalia Juris Naturæ præcepta ad Civium instituta & ingenia attemperent, quantum salus Reipublicæ subditorumque id exigit , ecquis, quæsò , in dubium vocaverit? Prudentiæ id fuit rectoriæ, ut firmiora & stabiliora essent Civium negotia , & ut lites imminuerentur, quæ non poterant non in immensum augeri, ubi cuilibet pro lubitu , & verbis quibuscumque se obligare foret integrum. Id autem invitô Jure Naturali fuisse factum tantùm abest , ut potius, exigente populi salute , rectæ rationis dictamina lubenter annuerint, & osculō velut datō ad id faciendum ultrò invitarint. Nec major difficultas est circa alterum dubium tollendum, dummodò discrimen observetur inter Jus Naturæ præceptivum & permissivum , sive Grotii stilo , quatenus pro lege , & quatenus pro facultate aliquid agendi & habendi accipitur. Illo sensu , prout vel jubet aliquid vel vetat, uti immutabile prorsus & omnis humani juris potestate exemptum est; ita nulla Civitatum lex citra apertam iniuritatis notam quidquam ei contrarium ordinare valet, quod jam suprà pluribus & indubiis rationibus evictum est; sed quatenus natura in alterâ Juris acceptione nudam facultatem & licentiam tribuit , ad aliquid justè habendum vel faciendum , eatenus mutationi subjacet , & citra ullum collisionis periculum à Civilibus Nomothetis vel restringi vel omninò tolli potest. Quodsi enim quilibet beneficiis pro se introductis spontè renunciare potest, quippe ni etiam Summis Imperantibus id indulgendum , ut post mutatum naturalem statum, jura etiam quædam huic aliâs propria mutant, & ad statum salutemque Civitatum attemperent? Ita quoque defensio adverlus hostes & vindicta in naturæ statu cuilibet licita dignoscitur ; quin tamen, post

Grot. I. 2.
c. 5. §. 5.
ii. §. 11. n. 3.

post introducta Imperia Civilia ea defendendi & vindicandi libertas justè sit restricta , nec , ubi ab his auxilium expectandum , Civibus amplius licita sit , nemo in dubium vocaverit . Venandi licentia sine Civitatum detimento vix tutò omnibus relinqu poterat , tūm ne rustici & offices à necessariis Reipublicæ operis avocati per sylvas cum armis vagando per hoc ad latrocinia allicerentur ; tūm ne cuivis promiscuè indultā feras persequendi licentiā , usus & exercitium juris tam egregii , quod omnino futurum erat , prorsus intercederet . Unde cùm rectæ rationis dictamina Summis Imperantibus securitatem & conservationem Reipublicæ , tanquam finem primarium , injungant , ad quem obtainendum hoc quoque medium ap- primè facit , cui , quæso , in mentem venerit , ut putare queat , invitò Naturali Jure venationis libertatem plebejis adimti , & ideo Civilia præcepta à Naturæ legibus dis- sentire ? Neque plus in recessu vel ponderis habet , quod tertio loco objectum audivimus , & ad interpretationem juris potius , vel ad Philosophiam , quam ad ipsum Jus & Jurisprudentiam pertinet . Sanè enim citra omnem pugnam fit , quando recta ratio dictitat , ut conditiones alicui negotio adjectæ , quæ vel falsæ deprehenduntur , vel quarum expletio impossibilis est , nihil operentur ; & tamen Legislatores , justâ ratione moti , jubent , ut ~~aneßent~~ ista Logica in interpretatione actuum Civilium aliquando non attendatur ; sed hic regulæ quasi exceptionem subjiciunt , ipsâ etiam naturali æquitate subnixam . Sint itaque regulæ in Philosophicis : *Falsum presuppositum , & impossibilem conditionem nihil operari* ; si tamen ad Jura applicentur , hasce admittunt limitationes ; & quidem quoad priorem : *nisi ubi disponentis enixa voluntas magis , quam verba inspicienda sunt* ; quoad posteriorem : *nisi ex pravo & callido disponentium consilio , ad alias vanc lactandos & decipiendos*

Constit.
Friderici II.
L. 2. Fend.
27. 5. si quis
rusticus.
Pufendorf.
T. 4. c. 6.
§. 6.

Grot. L. 2.
c. 8. §. 5.

piendos conditio impossibilis adjecta fuerit ; quemadmodum subinde fieri solebat apud Romanos, ut sub spe legati vel hereditatis relinquenda lactarent benefactores, & deinceps ultimæ voluntati impossibilem conditionem insererent. Ipsa ergo recta ratio & naturalis æquitas cum jubeant, ut in talibus casibus ad mentem potius, quam ad verba respiciatur, & hominum malitiæ, ne quod præmium inde accipiant, obviam eatur, ecquis, quofo, dixerit, in his Civiles Leges cum rectæ rationis dictamine non quam amicissimè conspirare? Cætera ferè leviora sunt, & à pluribus jamdudum diluta, ut in præsens circa ea commorari non sit opus, nec ullum operæ premium.

*Osculum
Juris Civi-
tatum*

II,
Quod Jus
Naturale
indefinitè
disponens
specifice
determi-
nat,
Pufendorf,
Offic. I. 2.
6.12.5.6.7.

Pergimus ad *Osculum secundum*, quô charis amplexbus Civitatum Jura Naturalis Juris ora impediunt, dum videlicet illa, quæ hoc indefinite præcipit vel disponit, applicatione in cuiusvis arbitrio relata, determinant, & ad decus atque tranquillitatem Rerum publicarum specialius informant. Cum enim Rectorum Civilium vel maximè intersit, actiones Civium uniformi modò sese habere, dum alias litium & confusionum finis atque modus nullus sit futurus; inde ejusmodi actionibus tempus, modum, locum, personas assignant, &, quibus Naturæ leges genericam tantum formam tribuunt, formam istis specificam superaddunt, ut certa ac constans regula sit, secundum quam singula negotia peragi, &, controversiis de super ortis, dijudicari possint. Et apparet id maximè in ultimis voluntatibus atque conventionibus, quæ, licet Juris etiam Naturalis sint atque Gentium, non tamen in Civitatibus cuiusvis arbitrio relinquitur, quod modò, quæque formâ ea negotia expedire velit; sed certa norma præscribitur, quam qui non observant, sibi imputent, ubi ea pro nullis & invalidis declarari viderint.

Et sane sit hoc Legibus Naturæ conscientiis, inquit
jubentibus, dum omnem ~~arrogiam~~ & confusionem, quæ
non possunt non ex ista agendi libertate provenire, sum-
moperè vult præcaveri, & potestatem largitur Civitatum
Rectoribus, ut sua dictamina ad communem Reipublicæ
salutem informent atque inflectant.

Hinc, uti nulla quidem contra Naturæ Jura vis at-
que potestas LL. Civilium est, ita tamen multa præter illa
jubendo aut vetando disponere posse extra dubitationis
aleam positum; & talia sunt ea, de quibus modò sumus
aliquoties locuti. *Humana jura*, rectè ait Grotius, *multa* Grot. L. 1.
e. 2. s. 5.
constituere possunt præter naturam, contrà nihil. Et alibi: e. 2. s. 5.
Lex Civilis quanquam nihil potest præcipere, quod Jus Na-
tura prohibet, aut prohibere, quod præcipit, potest tamen na-
turalem libertatem circumscribere, & vetare, quod naturali-
ter licebat.

Sed cùm hæc ab aliis jam prolixè exposita, & per se Mev. In-
manifesta sint, iis inhærere diutius nolumus; sed rectò sp. 6.
pede ad *tertium Osculum* properamus, quò diffundens
per amicæ Jurisprudentiæ Naturalis brachia Civilis No-
mothesia eam blando sibi vultu conciliat. Non repetam,
quæ in hoc præstare Leges Civiles naturæ dictaminibus jam
ostendi, dum robur iis & vim obligandi externam conci-
liant; sed de eo mihi sermo est, quod Civitatum Recto-
res, novioribus in primis temporibus, agnoscendo ma-
gnam Juris Naturalis in omni Jurisprudentia & vita utili-
tatem sui officii esse crediderunt, ut constituerentur pu-
blicè, qui doctrinam hanc rectè formatam juvenum ani-
mis instillarent. Ex quo enim Illustris Pufendorfius pri-
mùm in Heidelbergensi, deinceps Lundini Scanorum in
Sueciâ, hanc spartam egregie ornavit, &, magnum Gro-
tium secuti, cùm laudato Pufendorfio è JCtis Zie-
glerus, Mevius, Kulpisius, Vitriarius, van der Muc-
len,

Ien, Tesmarus, Coccejus, Pagenstecherus, Thomasius, Titius, aliquic, & qui fortè prius nominandi erant, Magnifici Academiz nostræ Cancellarii, Nitschius atque Hertius, disciplinam scriptis illustrare cœperunt, & ad solidiora principia revocarunt, non solùm in variis Germaniæ Universitatibus, & nuper in Belgio atque Helvetiâ publicâ autoritate ordinati sunt, qui Professorum Juris Naturalis elogiò eam artem traderent; sed & hodiè ex celebrioribus vix ulla dabitur Academia, ubi non magnò numerò publici pariter atque privati Doctores in eâ inculcanda atque excolenda operosè desudent. Benè autem observari velim, me de doctrinâ hâc rectè formata loqui, quâ usum in vita & universa Jurisprudentia manifestum habere possit; non, quâ tantum circa spinosas de Principio Juris Naturæ, aliisque subtilibus & ociosis quæstiunculis tempus teritur, vel generalibus tantùm regulis ad philosophiam spectantibus, sine debita applicatione ad scientiam Juridicam, ea absolvî creditur; vel quâ loco sobriæ hujus doctrinæ confusum ex Philosophia, Theologia morali, & Jure Civili chaos ineptè miscetur; vel denique quâ secundum solum rigorem Philosophicum, non habitâ circumstantiarum vel à qui bonique ratione, res dijudicantur; si quidem, ut acutè Cicero: *Leges iniqua tollunt, quatenus manu teneri possunt; Philosophi, quatenus ratione & intelligentiâ, quod & Grotius innuit, quando punctum in moralibus ait dari cum latitudine, quod in Philosophia pro paradoxo habetur.* His sanè modis, si quis Naturæ Jus tractare velit, parùm aut nihil in Jurisprudentia profici fateor; neque etiam sufficere arbitror, si, qui in artis formam redactum, quale hodiè habemus, in theoria sibi cognitum reddiderit, ad actiones autem Civium & Gentium applicandi, rationesque, quæ in LL. Civilibus continentur, cruentijudicio atque artificio destituatur. *Multum,*

Cicero, 3.
Offic. 11.

ceu rectè judicat sàpè laudatus Mevius, inter artem & ar- Mevius, in
 tificium interest; idque inde oritur, quod, que sub hoc venit, ^{l. 9. s. 3. f.}
 materia, non semper sapientia canones atque ingeniorum sub- ^{l. 9. s. 3. f.}
 tilitates patitur, sed, quod in his est scientia & artis, id
 artificium in usum deducere, & legitimum opus efficere labo-
 rat. Quod nonnemo scriptit, multum differre, Politicum in
 schola, & Politicum in cathedrâ videre, quia illius saltus
 est praecepta tradere, hujus, sua id applicare Reipublica at-
 que actionibus, id etiam de JCto rectè profanur, quem longè
 decet aliud esse in negotiis mundi, quam est in conceptu ce-
 rebri, vel studiis musai & cathedra. In quo contingit, ut,
 qua Juris Naturalis sunt, variam speciem sub nube materia,
 qua jus implicat, assumant, &, licet eadem sint, tamen ex
 applicatione, tanquam diversicoloribus ac aliâ atque aliâ formâ
 compositis vestimentis circumdata, notitiam eorum, qui gene-
 ralia praecepta didicerint, sapientiè effugiant. Non secùs enim
 atque artis Architectonica praecepta generalia sunt, eaque ubi-
 que peritus sequitur artifex, non tamen eodem modo applicat,
 sed eas in diversas formas ac structurarum variantes species
 transfert; sic Jcti opus habent, communis juris regulas inter
 varie dispare Civium Civitatumque occasiones diversimode di-
 spensare. Laudabile igitur istud Summorum Imperantium
 consilium est, dum non cuilibet promiscue Juris hujus
 docendi licentiam permittunt, & non ita liberè, quem-
 admodum in aliis nonnullis ea libertas tanquam scholasti-
 ca permittitur, ingenia vagare & errare concedunt. Non
 enim in Juris scientia, ut in aliis umbraticis studiis sibi so-
 lùm, sed & Reipublicæ Doctores peccant, & quidem per-
 niciosus is error est, dicente Paulo JCto, ubi in bono &
 aquo sub autoritate juris scientia erratur. Autor fuit suo
 tempore in utroque, Naturæ & Civitatum Jure, egregie
 versatus Mevius, his, qui cum Imperio præsunt, ut in
 ea, quam regunt, Republicâ Juris Naturalis vera & ge-
l. 9. s. 3. f.
l. 9. s. 3. f.

Mevius, In-
frat. 6.
s. 14.

nuina axiomata, juxta rectam rationem, sanò judiciò & accuratò studiò colligi, & in compendium quoddam juris redigi curare debeant, quod pro Institutis istius Juris servetur, atque publicè doceatur. Quâ curâ hodiè, si adhuc superesset, vir incomparabilis utique supersederet, ex quo Academiis de ejusmodi Systematibus, & de viris, qui ea exponerent, abundè prospectum est. Gratia er- gò habendæ magnis ingeniis, quæ illa curæ sibi esse voluerunt; imò magis agendæ gratia Nomothetis, qui, quod Mevii votum erat, juventutem in Scholis solidè dextrè que iis imbui, & indè sanam sententiam in curias, aulas, fora inferri voluerunt. Osculis hinc, quibus universa Jurisprudentia se excipit, exciperè certè debet, novum hocce additum; amicè se invicem amplectuntur, benignissimeque inter se conspirant.

Quem in finem, Auditores omnium Ordinum Honoratissimi, hæc prolixius exposuerim, & Oscula, quibus inter mutuos amplexus Naturæ atque Civitatum Jura se excipiunt, ob oculos posuerim, ex iis, quæ in principio hujus Sermonis dixi, facile, & vel me tacente, perspicietis. Scilicet utilitatem, quæ ex coniunctione utriusque horum jurium scientia resultat, magnò judiciò expendens *Serenissimus Princeps atque Dominus noster, DN. ERNESTUS LUDOVICUS, Patriæ Pater, Academia Nutricius, Dominus noster longè Clementissimus*, cùm ex Principali Gratia Professoris Jurium Ordinarii manus benignissimè mihi concederet, simul quoque in literis demandavit, ut & à Jure Naturæ docendo deinceps non desisterem, sed in utroque, cùm quod Naturæ, tūm quod Civitatum est, tradendo Studioz Juventutis commoda promoverem.

Agnosco hanc Clementissimi Principis gratiam humillimam mentis devotione ac pietate, daboque operam, quæ potero, sedulam, ut clementissimo Ejus mandato satisfiat, & utriusque justitiae officio fungar. DEUM autem ter Optimum ter Maximum ex intimis animi medullis supplex veneror, velut Serenissimo PATRIÆ PATRI felix pacatumque terrarum regnum concedere, Eumque, juxta cum Serenissimis Principibus, Harede; Dn. LUDOVICO, nec non Dn. FRANCISCO ERNESTO, Principibus ac Dominis meis itidem Gratiissimis, in divino Gratia suæ sinu quam diutissime fovere, & Universam Serenissimam Domum Hassiacam perpetuò propagam, vigentem, florentemque conservare! De vestrâ, Patres Conscripti, cum totius Incliti Senatus Academicî, cum & Illustris illius, in quod nunc receptus sum, Collegii, benevolentia, quam tot annos expertus sum, uti nullus dubitare possum; ita & vicissim sanctè pollicor, in fide, veneratione, & quibusvis, quæ à mea tenuitate proficiisci poterunt, officiis omni sine fuco me continuaturum. Et ut Vos etiam, Generissimi, Nobilissimi atque Honoratissimi Cives Academiae Studiose, Musarum Filii lectissimi, certiores esse possitis, quō in Vos sim animo, &, quid in novo munere mihi propositum habeami, scitote amabo, & certissime peritus Vobis tenetote, me totum fore vestrum, &, quacunque potero ratione, me Vesta commoda Vestramque utilitatem promoturum. Quæ mihi imposita clementissime sparta est, eara pro viribus exsequar, &, quemadmodum de conjungendo utriusque, Naturæ scilicet atque Civitatum Juris, studio differentem me audivisse.

stis; ita & mihi id datum reputabo, ut in Scholis & Scriptis meis ad eandem cynosuram Vos in Jurisprudentiæ adyta introducam.

*Bœckel-
mann, Pra-
fat. ad Ele-
menta Qur.
Civil,*

Præbete modò Doctori ductorique vos faciles, &, ut in calce sermonis doctissimi JCti Bœckelmanni verba, quæ ad suos quosdam Auditores direxit, mea faciam, *eam Jus Civile capiendi optimam credite rationem, si, quicquid in eo legeritis, continuò expendatis, quid ejus, sine lectione illa, naturali ratione scire potuissetis, quidvè eâ lectione præter aut contra communia illa principia didiceritis, si que hac memoria, illa relinquatis judicio. Sic cùm hac pauca, illa verò nobis innata sint, utraque labore leviore, & cum majore ratione tenebitis.* DEUS Vos servet, & ab Alma nostra Ludoviciana mala omnia, quæ eam circumstrepunt, clementissimè averruncet!

DIXI.



RECTOR
VNIVERSITATIS GISSENAE,
MATTHIAS NICOLAVS
KORTHOLT,

Eloqu. utriusque Prof. Ordinarius,

*Generosis & Nobilissimis Civibus bujus
Ludoviciana*

S. P. D.

Qui Disciplinam Juris Naturæ ac Civitatum delibarunt tan-
tum & degustarunt, perspectum habent, inter Naturæ &
Civitatum jura non leve discriminem occurrere, eademque, ut
à se perindè, ac par est, distinguantur, certis & accuratis limitibus
circumscribi debere. Nisi vero probè discernantur, non potest non
notitia juris indè provenire confusa, vacillans & inanum litigio-
rum

tum plena. Evidem in ipsis Juris Romani libris plurima deprehendimus è fonte Juris Naturalis, quod omnes homines Gentesque obligat, hausta. Ibidem insuper multa è Jure positivo derivata, & ad peculiares Romanæ Civitatis rationes accommodata sunt aspersa. Sed non immeritò Samuel Pufendorfius in Præfatione alteri de Jure Naturæ & Gentium Librorum editioni præmissa, expedire iudicat, succinctum Indicem formare in libros Juris Romani, quo indigitentur, quæ ibi ad Jus Naturale, quæque ad positivum Jus spectent, sicque adeò accurate fines inter Jus Naturale seu Universale, & Jus Romanum propriè dictum, seu Civitati Romanæ peculiare regantur. Quæ quum ita sint, elucet & res ipsa loquitur, Naturæ ac Civitatum Jura minimè confundenda, quæ tamen convenienti modo coniungehda esse nemo temerè negaverit. Etenim cognatione quadam inter se continentur, & habent communie quoddam vinculum, ut alterum alteri egregiam lucem accendar, & hic pariter locum inveniat vulgaratum illud: Vis conjuncta fortior. Neminem quidem præterit, Juris Naturæ præsertim Doctoribus graves dudum lites esse motas, & nonnullis in comparatione ad judicandum difficile visum: utrum majora commoda vel incommoda hæc Disciplina juris afferret. Vbi nostrum non est,

Tantas componere litteras;

neque negamus fuisse, qui pravas periculosaſque sententias cum Jure Naturali, veluti aera lupinis, commiscere non dubitaverint. Ad quorum partes etſi non abeundum, ad illorum tamen accedendum esse nullus negabit, qui tale Jus Naturæ, quod omnes homines Gentesque obſtrigit, quod ipſe DEVS T. O. M. certa ratione Sibi ſic præſcriptis, ut ab illo non diſcedat, in clara luce collocare, per idem Juri Civili purissimum splendorem conciliare, divinæ autem veritati nullo modo tenebras offundere, ſed potius eandem, ut Christianum Jctum decet, totis viribus illustrare nituntur. Qua de cauſa ſine dubio Serenissimus etiam Elector Palatinus, Carolus Ludo yicus, iſtius Discipline singularē primus que, quantum conſtat, Professorem celebratissimum Pufendorfium in Academia Heidelbergensi voluit declarare. Quo exemplo dein-

cepit aliis eadem Juris Naturalis Professio in florentissimis Literarum
domiciliis pariter est collata. Quum verò , ut redeam ad illud ,
undè aliquantum digressus sum , Naturæ ac Civitatum jura

bene conveniant . & in una sede morentur ,

Serenissimo Patriæ Patri & Nutritio Ludovicianæ Suæ Munificientissimo placuit , Vtriusque horum Jurium Professorem Ordinarium Clementissime constitueret Præ-Nobilissimum & Excellentissimum JCtum , Dn. Doct. Immanuelem Weber / S. Cæs. Palatii Comitem , Professorem item Historiarum in Alma Giessena celebratum , Collegam nostrum honoratissimum , qui provinciam istam proximo die Jovis , die XXI. Dec. hora matutina IX. inaugurali Oratione in Auditorio solenni auspiciaturus non à re alienum fore duxit , si de Osculis , quibus inter mutuos amplexus se excipiunt Naturæ & Civitatum jura , in publica Panegyri verbā faceret . Ad hanc igitur Orationem audiendam Vos , Optimi Cives Academicí , peramanter invitamus , ac persuasum habemus , vel sine commendatione nostra de argumento maximí momenti dicturo Doctori Vestro longè meritissimo Vos promte adfuturos , & ad doctrinam Ipsius deinceps majori cum fructu in usus Vestros convertendam sic Vos præparatueros . Valete . P.P. die Dominic. III. Adv.

Anno M DCC XIII. sub Sigillo Academiacæ
majori.



*ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO
GOTTLOBO FRIDERICO,
S. R. I. BANDERESIO,
& LIBERO BARONI;*

Dynastæ in Baruth, Bretting, Henners-
dorf, Hausvalda, Kemniz, Berthels-
dorf, Buchvalda, Kreckvitz, Heu-
schenne, & Rackel.

*POTENTISSIMI REGIS POLONIARUM
& ELECTORIS SAXONIÆ
CONSILIARIO STATUS,*

*& in nupero
Visitationis Cameralis Conventu
LEGATO
EXCELLENTISSIMO;
DOMINO SUO GRATIOSIS-
SIMO.*

ILLUSTRISSE DOMINE,

Domine Gratiissime,



Uod de gratia seu beneficentia suo tempore cecinit Ausonius:

Gratia, qua tarda est, ingrata est; Gratia namque

Dum fieri properat, Gratia grata magis;

idem sine dubio ob patrem rationem etiam de grati animi testificatione, quam Mæcenatibus & Evergetis Clientes debent, pronunciandum est. Sicut enim humánitatis officia requirunt, ut pro meritis meritæ quoque grates rependantur; ita sancè justum æquumque fuérit, ut in longum eæ non differantur, & quidem vel maximè ab iis, quorum tam exiles sunt copiæ, ut tarditatem gravitatè compensare non possint.

Memor ego ingentium istorum beneficiorum, quibus ab eo tempore, quô, ILLUSTRISSE DOMINE, ephoriæ meæ committebaris, cum à beatæ memoriæ Excellentissimo DN. PATRE, tūm ab

*Illusterrima MATRE, & à TEIPSO mactatus fui,
mirum non esset, si in ruborem darer, quod in Eu-
charistiae Templo publicam aliquam Tabulam non-
dum suspenderim. Id enim ne nunc quidem dissimu-
labo, ex quo TUI causâ in aliam Ludovicianam
missus fui, DEO ita dirigente, omnis meæ felicitatis
portum me ibi reperiisse, dum statim atque huc vene-
ram, Serenissimus Hassia Landgravius, ERNESTUS
LUDOVICUS, Princeps atque Dominus meus longè
Clementissimus, me nihil tale sperantem (& qui homo
extraneus sperare poterat?) in numerum Professo-
rum suorum me cooptavit, cooptatumque non unis.
Principalis Clementie documentis, nunquam à me sat
prædicandis, porro beavit. È igitur occasione in
Hassiam delatus, locatusque in fortunarum, quibus
hodiè fruor, sede, qui possum aliter, quam ut **TIBI**,
Illusterrimaque TUÆ DOMUI prima earum auspicia
in acceptis referam? Accedit hisce, quod & deinceps
multa liberalitate me subinde refocillastis, & de
TUA GRATIA, dum per aliquot annos Imperia-
lis Cameræ Visitationi *Excellentissimus Legatus* inter-
fuisti, signis sat luculentis IPSE me reddidisti certio-
rem. Unde omnino par fuerat, horum omnium me-
minisse, quod etiam à me certè factum, licet pu-
blicæ confessionis occasio comoda se adhuc usque*

non obtulerit. In præsens verò dum *Sermo aufspica.*
lis, pro capessendo novo munere habitus, quô *Sere-*
nissimus PATRIÆ PATER, TE adhuc in Comitiis
Wezflariensisibus commorante, me Clementissimè di-
gnatus est, publicam lucem adspicere jubetur; ut ab
aere jamdudum contracto aliquatenus me libesem,
cundem **ILLUSTRISSIMO T. NOMINI** in grati-
animi tesseram inscribo, &, ut *Gratioso vultu exci-*
pias, enixè rogo. Sospitet TE DEUS, DOMINE
EXCELLENTISSIME, juxtà cum tota Illustrißima
Familia, &, ut POTENTISSIMUM T. REGEM
atque ELECTOREM, Patriam dulcissimam, imò
universum Imperium prudentissimis consiliis quam lon-
gissimè adjuves, benignissimè largiatur.

ILLUSTRISS. T. EXCEL- LENTIAE

Scribebam Gielle Cattorum
d. XXII. Decembr.
M DCC XIII.

humili obsequio additif.

IMMANUEL WEBERUS.

ÖSTERREICHISCHE
NATIONALBIBLIOTHEK

ÖNB



Digitized by Google

